

in quibuscumque mundi partibus et tam in mari quam in terra hinc retro usque ad diem et horam presentes ; et omnes penas et interesse, in quibus per presentem guerram vel aliqua hinc retro inter dictas partes facta vel commissa fuisset incursum. Facientes sibi invicem et vicissim dicte partes nominibus antedictis de predictis omnibus et singulis finem, quietationem omnimodam, libertatem et pactum de ulterius non petendo nec non de predictis omnibus et singulis per acceptilationem et aquilianam stipulationem verbis solepnibus et legitimis interpositas plenarie sese invicem liberando, sibi invicem mutuo et vicissim promittentes bonam et veram pacem predictis non obstantibus perpetuo observare. Et quod occasionibus supradictis nulla in perpetuum lis, causa, molestia, controversia vel requisitio fiet, vel movebitur per unam partem contra aliam, vel per singulares personas unius partis contra alteram, vel contra singulares personas alterius partis, complices, adherentes, vallitores et sequaces ipsarum partium, vel alterius ipsarum in iudicio vel extra, tam de iure, quam de facto. Item fuit actum inter dictas partes, quod omnes et singuli captivi, et carcerati, et detempti partium predictarum, et cujuslibet ipsarum et subditorum ipsarum ubicumque sint, et penes quemcumque capti vel detempti sint, et quicumque sint sive capti fuerint per ipsas partes vel gentes ipsarum vel per singulares personas seu stipendiarios ipsarum partium vel quarumcumque singularium personarum cujuscumque conditionis et gradus sint, libere et sine aliqua redemptione, exactione vel impedimento quocumque reali, vel personali relaxentur, liberentur et expediantur, ac restituantur pristinae libertati infra tempora, et prout inter dictas partes extiterit ordinatum. Item fuit actum inter dictas partes nominibus antedictis, quod insula de Tenedon cum omnibus et singulis castris, burgis, villis, locis, domibus, hedificiis, et habitationibus in eadem insula existentibus cum ipsorum iuribus et pertinentiis infra menses duos cum dimidio proxime venturos in manibus prefati domini Sabaudie comitis, seu ejus certi vel certorum nunciorum per